DISSERTAT

DE

AEDIFICAT
ATQVE EXORN
SEPVLCROR

A SCRIBIS AC PHARISAEIS
AD LOCVM MATTH. XX

QVAM

RECTORE MAGNIFICE
SERENISSIMO PRINCIPE AC
DOMINO
ERNESTO AV
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE M
ET WESTPHALIAE RE
D. IMPERATORIS AVG. SVMMO TOTIVS
PRAEFECTO AC LEGIONIS EQVESTRI
STRIS TRIBVNO

CONSENS
AMPLISSIMI PHILOSOPHOR
PVBLICO ERVDITORVM EXAMIN

PRAESE

M. IO. FRIDERICVS
SOCIETAT. LATIN. IENENS. COLLE

RESPONDENTE

IO. GOTTFRIDO BO
RIESTADIO LEVCOPET
SACRARVM LITTERAR. CVLTORE ET SO

DIE XXIII. IVNII CIↃ IↃCC

IENAE LITTERIS RIT

FATIO

ATIONE
RNATIONE
RORVM
SAEIS INSTITVTA
TH. XXIII, 29. 30.

M

IFICENTISSIMO
IPE AC DOMINO
NO
AVGVSTO
VIAE MONTIVM ANGARIAE
AE RELIQVA
OTIVS CAESAREI EQVITATVS
QVESTRIS ITEMQVE PEDE-
IBVNO

ENSV
OPHORVM ORDINIS
EXAMINI SVBMITTIT
SES
CVS ECKHARD
S. COLLEGA HONORAR.
DENTE
O BOGENHARD
VCOPETRENSI
RE ET SOCIET. LAT. SODALI.

Iↄ Iↄcc xxxxvi.

S RITTERIANIS.

10.

SECTIO I.

QVAE RITVM IVDAEORVM EXSTRVENDI ATQVE EXORNANDI MONIMENTA BREVITER EXPONIT.

SVMMA DICENDORVM.

§. I. INDICATVR, *uti reliquis cultioribus gentibus, ita et iudaeis sollemne fuisse monimenta defunctis exstruere.*

§. II. De nomine monimentorum paucis agitur.

§. III. Iis potissimum, qui pietatis laude floruerunt, monimenti honor a iudaeis decretus est.

§. IV. Monimenta interdum fuerunt magnificentissima.

§. V. Instituerunt quoque conuentus honoris caussa ad sepulcra.

§. VI. Quae his obstare possent, e medio tolluntur.

§. I.

INTER omnia quotquot constituta praeclare a mortalibus sunt, virtutis meritorumque insignium praemia, vix datur aliud, quod aetatem fert, atque perenne est, praeter hoc, quod illorum, in quibus virtutes praeclarae elucent, memoria, posteritati non sine laude commendetur, et nomen eorum, tanquam nunquam inter-

 mori-

moriturum, ore et vocibus omnium concelebretur. Nihil olim erat, quod acrius animos impelleret, aut vehementius ad virtutis ſtudia inflammaret, praeſertim apud illos, qui vel iisdem regionibus, quibus huius vitae ſpatium circumſcriptum eſt, omnem vitam terminari falſo exiſtimabant, vel ſaltem non niſi vanam immortalitatis ſpem habebant, * quam certa ac iucunda ſpes, quod praeclaris factis a ſe patratis, ad diuturnitatem, cuius deſiderio omnes tenentur, memoriam ſuam propagarent. Haec ſola animaduerſas difficultates, quae ab inſtituto virtutis itinere, reuocare multos potuisſent, ſuperabat, haec animos debilitatos erigebat, haec tanta erat, vt reliquam mortalitatis rationem mirum in modum mitigaret. Quae quum ita ſint, non adeo mirum videri poteſt, omnes fere populos, a barbarie ad manſuetudinem traductos, in eo modis laboraſſe omnibus, vt tantum, quantum fieri poſſet, poſt fata hominum nomen et memoriam, ex virtute variisque meritis partam, illuſtrarent, atque ab obliuione aut ipſo quoque interitu vindicarent. Ecquid vero ad explendum tam praeclarum deſiderium adcommodatius, quam, ſi tumulos, quibus conditi homines virtutibus inſignes, ſtructuris magnificis impoſitis honorarent, iis nomina eorum, egregiaque facinora, ab ipſis patrata inſcriberent, atque ita laudes ipſorum ad hominum memoriam, quam maxime diuturnam conſecrarent? Ita vero eſt, praeclarus hicce mos vſitatiſſimus fuit inter veteres et Graecos et Romanos, ** quod, niſi tot luculentis conſtaret teſtimoniis, posſet eo quoque confirmari, quod ſepulcra μνημεῖα et μνήματα apud Graecos, atque apud Romanos *monimenta*, item *memoriae* impro-

propria locutione dicta sint. Nam non aliam ob caussam sepulcra *memorias*, et *monimenta* dicta esse, nisi quia, *eos, qui viuentium oculis morte subtracti sunt, ne obliuione etiam cordibus subtrahantur, in memoriam reuocant, atque admonendo faciunt cogitari*, ex AVGVSTINO *** intelligimus. Et ipse TVLLIVS * etiam hoc confirmat, quando, *sed ego*, inquit, *quae monimenti ratio sit, nomine ipso admoneor: ad memoriam magis spectare debet posteritatis, quam ad praesentis temporis gratiam.* Ita quoque hanc consuetudinem apud iudaeos valuisse, ex loco isto, quem nobis explicare proposuimus, luculenter potest intelligi. Non itaque alienum esse existimaui, si pauca de hoc ritu apud Iudaeos recepto, exponerem, atque haec pleniori istius loci explicationi praemitterem. Certe, si non plane adspernenda aut reiicienda sunt, viri harum rerum peritissimi, IO. HOTTINGERI verba, ** quando *cippi*, inquit, *aliaque, quae de iis, et propter eos veteres tradunt, non ad vnius tantum, obscuri etiam, scripturae loci faciunt explicationem:* operae pretium facturi videbimur, si in breuiter enarrando hoc Iudaeorum more, studii nonnihil posuerimus.

* Fuisse enim alios, qui animae immortalitatem credebant, alios, qui eamdem inficiabantur, docuit PETR. ZORNIVS in *Bibliotheca Antiquario Exegetic. Tom.* I. *Part.* VI. *pag.* 502. *not.* Prius adstruit NICASIVS in expositione antiqui cuiusdam monimenti Auscitani. Posterius patet ex nota inscriptione lapidis sepulcralis, *amici dum viuimus, viuamus*, vt refert LIPSIVS *Lib.* I. *Sermon. Saturnal. Cap.* 19.

** conf. IO. ALB. FABRICII *Bibliographiam antiquariam Cap.* XXIII. vbi scriptores, qui hac de re egerunt, recenset.

*** Cap. IV. *de cura pro mortuis.*

* in *Epist. ad Caesarem.*

** exstant haec, in Dissertat. *de numis et Cippis Orientalium, Cippis ebraicis* praemissa.

§. II.

Quodſi ad nomina, quibus monimenta ad conſeruandam memoriam exſtructa, inſignire ſolebant, animum attendimus; ea נפשות adpellata eſſe, obſeruante EDVARDO POCOCKIO, * ex Rabbinorum, quos vocant, ſcriptis colligere licet. Praeter conſeruationem vero memoriae, et alia ratio iudaeis ſuadebat, vt cippos ſepulcris imponerent. Nimirum, vti locus *Num.* XIX, 16. teſtatur, ſepulcra, ex ipſius Moſaicae legis inſtituto, vim habebant homines polluendi. Huic malo, vt quantum fieri poſſet, obuiam irent, atque immunditiei, quam quis ex mortuo ſibi contrahebat, periculum auerterent, omni cura ac diligentia cauebant, ne ſepulcrum aliquod ſigni careret indicio; vt quilibet, cognito hoc ſigno, longius recedere poſſet. Atque eiusmodi quoque ſignum נפש יד nomine, Iudaeorum magiſtris veniebat. Linguae ſanctae vocabulum, quod monimenta ſepulcralia denotat, eſt צִיּוּן, quod tamen ſignificatu ſuo latius, quam נפש patere, POCOCKIVS ** arbitratur. At quaerere aliquis poſſet, quomodo factum eſſet, vt vocabulum נפש, quum *animam* apud Ebraeos, Chaldaeos, et Syros ceteroquin denotet, *monimenti ſepulcralis* notionem acceperit? Satis adcommodate, et vero haud abſimile vir doctiſſimus, IO. LIGHTFOOTVS *** ſuſpicatur, eam ob cauſſam eiusmodi monimenta נפשות eſſe dicta: *quod vitam et animam memoriae hominum conſeruarent*, quae etiam ſententia POCOCKIO non diſplicuiſſe videtur. Aliam, ſi non veram, certe doctam coniecturam profert, vir magni nominis CAMPEGIVS VITRINGA: * obſeruauit nimirum olim tum deorum cultores, tum etiam Iudaeos, animas dixis-

dixisse post mortem *quiescere.* ** Ex eo coniicit; hanc forte memorialem formulam eiusmodi monimentis inscriptam fuisse נפשו תנוח *anima huius, vel illius, hic loci, vel in paradiso quiescit;* a qua prima et vulgata huius inscriptionis voce נפש, integrum cippum ita denominatum esse, opinatur.

* in *Not. Miscellan. ad Portam Mosis Cap.* V. p. 77.
** loc. cit.
*** in *Horis Ebraicis et Talmudicis ad Matth.* XXIII, 29.
* in *Obseruationib. sacris Lib.* I. *Cap.* V. §. VII. et VIII.
** conf. et PETR. ZORNII *bibliothecam Antiquario Exegeticam pag.* 504.

§. III.

Quemadmodum autem Ebraeis, vera numinis cognitione imbutis, nullam virtutem, quam pietatem erga Deum maiori loco habendam esse, exploratum erat: ita quoque eorum inprimis nomina, qui hac laude floruerunt, aliisque in rem sacram meritis celebres fuerunt, cum posteritate censuerunt adaequanda. Si quid video, ad hanc rem nobis et illud argumento esse poterit, quod et synagogas et academias, iuxta eiusmodi hominum praestantissimorum sepulcra erigere consueuerint. * Sed ab antiquissimis quoque temporibus, si mente animoque ea recolimus, sollemne fuisse ebraeis, monimenta tanquam supremi honoris testimonia, sepulcris imponere, ipsius codicis sacri testimonio confirmatur. Etenim hunc ritum patriarcharum, quos vocant, temporibus iam obtinuisse, *Gen.* XXXV, 20. relatum legimus: vbi dicitur, Iacobum super Rachelis sepulcro statuam erexisse, vt conspecto ad sepulturae locum tam nobili cippo, apud posteros etiam vegeta ipsius seruaretur memoria, cuius cippi structura atque

conditio a BENIAMINE TVDELENSI *in Itinerario* p. 47. describitur. ** Tantum abest, vt insequentibus temporibus, hoc monimentis defunctos colendi studium exspirauerit, vt potius CAMPEG. VITRINGA,*** viro summo atque in his litteris versatissimo, iudice, si qua vnquam gens, certe iudaica, ad τὸ οἰκοδομεῖν τοὺς τάφους τῶν προφητῶν καὶ κοσμεῖν μνημεῖα τῶν δικαίων *inclinauerit*. Non difficile hinc erit ad iudicandum in promtu esse exempla, nec longius plura arcessenda, quae Iudaeos, hominum virtutis laude florentissimorum sepulcris monimenta imposuisse demonstrant, quibus vero commemorandis eo facilius nobis supersedere licebit, quo maiorem eorum numerum auctor *Cipporum ebraicorum* * recenset.

* vid. VITRINGAM in *Synagoga Vetere Lib.* I. *Part.* I. *Cap.* II. *pag.* 219.
** exstat haec descriptio in MARTINI GEIERI libello *de luctu veterum Ebraeorum Cap.* VI. §. 25.
*** *loc. citato pag.* 221.
* editi sunt *Cippi ebraici* a IO. HENRICO HOTTINGERO Heidelbergae CIↃ IↃC LXII.

§. IV.

His iam in medium prolatis, quibus morem sepulcris imponendi monimenta ab Ebraeis vsurpatum esse comprobatur, quae fuerit eorundem conditio videndum erit. Modicosne igitur sumtus iis aedificandis insumserunt? num amplitudini, vel altitudini parum, aut structuris splendidis, aliisque ornamentis nihil plane tribuerunt? Etsi quidem teste IOSEPHO,* adcuratissimo rerum iudaicarum scriptore, *Deus ita prospexit funeribus mortuorum, vt neque sumtuosae ad sepeliendum celebrarentur exsequiae, neque insignium fabrica sepul-*

sepulcrorum: ** tamen, si exempla nonnulla illustriora intuemur, nullis sumtibus pepercisse Iudaeos, et quicquid ex temporis illius iudicio, ad splendorem ac magnificentiam conciliandam comparatum erat, id omne in sepulcrorum aedificationem transferre consueuisse, animaduertimus. Tale amplissimum, et magnificentissimum monimentum est illud, quod auctor librorum Maccabaeorum I. *Maccab.* XIII, 27 - 29. *** describit. Quod quum et ingentibus columnis, et splendidis statuis, variis imaginibus, emblematibus, atque titulis exornatum fuisse commemoret; non aliunde haec luculentius adstrui poterunt, aut confirmari.

* *Lib.* II. *contra Apionem. pag.* 1074.

** Athenis quoque modus sepulcrorum et quoad altitudinem, et quoad magnificentiam lege erat definitus, quod inter alia ex CICERONE *Lib.* II. *de Legibus*, *Cap.* XXVI. intelligimus.

*** IOSEPHVS *Lib.* III. *Cap.* XI. *Antiquitat. iudaicar.* monimentum hoc, μέγιστον adpellat, θαυμαστόν τε ἰδεῖν. Verba, quae in citato loco *libror. Maccab.* occurrunt, ex parte illustrata, vide apud IO. ANDR. QVENSTEDIVM in tractatu de *sepultura veterum Cap.* XI. conf. IO. NICOLAI de *sepulcris ebraeorum Lib.* IV. *Cap.* 5. *pag.* 246. et PETR. KEVCHENIVM in *adnotatis ad* IV. *Euangelistas pag.* 89.

§. V.

Etsi vero non ad exigui temporis praedicationem honorem monimenti prodesse, haud facile quisquam ibit inficias: tamen neque his tantum limitibus, iudaeorum defunctos colendi studium erat circumscriptum, quin potius nihil omnino praetermittebant, quod vel ad exornandam, vel altius animis infigendam, hominum virtutis laude celebrium memoriam, facere aliquid posset. Etenim confluebant praeter ea, quotannis magna multitudine ad sepulcra, praeclara ibi

defun-

defunctorum merita dignis praeconiis extollebant, carminibus laudes eorum ornabant, eorumque et dicta et facta, quasi heri aut nudius tertius gesta, venerationis honorisque testificationibus celebrabant. * Ita refert auctor ** *cipporum ebraicorum* de sepulcro Mardochai et Estherae, quod sollemni celebratione annua illud honorauerint; atque de priori ita loquitur: *Toto illo tractu congregantur* (Iudaei) *die Purim*, *eoque proficiscuntur ad sepulcrum eius, cantica dicentes et encomia cum tympanis et choris.* Idem ostendit quoque CAMPEGIVS VITRINGA in *synagoga Vetere*. *** Forsan illud quoque huc poterit referri, quod SVETONIVS TRANQVILLVS * de Iudaeis memoriae prodidit: eos scilicet, *continuis noctibus*, *bustum*, IVL. CAESARIS, interemti, *frequentasse.*

* Morem, huic similem, apud Graecos valuisse, et sollemniter sancitum esse DIODORVS SICVLVS auctor est, vti docuit IACOBVS ELSNERVS in *Obseruationibus Sacris in Nou. Foederis libros Tom.* I. *pag.* 106. *seq.* Plura exempla, quae id confirmant vid. in EVERHARDI FEITHII *Antiquitat. Homeric. pag.* 124. *seq.*

** *pag.* 77.

*** *Lib.* I. *Part.* I. *Cap.* XI. *pag.* 224.

* *Cap.* LXXXIV. Verba ipsius haec sunt: *In summo publico luctu* (ob caedem scil. Iul. Caesaris) *exterarum gentium multitudo circulatim, suo quaeque more lamentata est: praecipueque Iudaei, qui etiam noctibus continuis bustum frequentarunt.*

§. VI.

Ne autem horum testimoniorum fides labefactetur, propterea quod foeda immunditics ex mortuo, vel sepulcro contracta habebatur, facileque sic fieri poterat, vt ad sepulcra confluentes eiusmodi immunditie se contaminarent: vt ea, quae his aduersari possent, e medio tollamus, res ipsa videtur exigere atque postulare.

lare. Niſi concordi antiquitatis ſuffragio velimus refragari, ſecundum iudaeorum diſciplinam, omnium maximam ac foediſſimam exiſtimatam eſſe immunditiem, quae ex mortuo contrahebatur, ſtatuendum eſt. * Tanta enim erat, vt nullo victimarum ſanguine elui ea potuerit aut amoueri; ſed exquiſitius requireretur remedium, nempe *aqua, cineribus vaccae rufae mixta*, quae hysſopo in pollutum deriuabatur, vti *Num.* XIX, 9. 17. 21. legimus. ** Licet hinc etiam iudicare, quanta peccatorum ſignificetur foeditas, quando Paulus *Ebr.* IX, 14. νεκρὰ ἔργα *** ea adpellat. Quemadmodum enim inquinati ex mortuo, ob ſummam in ſe deriuatam immunditiem, victimarum ſanguine haud poterant repurgari, ſed aqua luſtralis requirebatur; ſic etiam nihil contra peccatorum illuuiem ac foeditatem valebat τὸ αἷμα ταύρων καὶ τράγων, ſed ſolus ſanguis Chriſti, cuius figura ac typus elegans fuit aqua illa luſtralis. * Sed ad ea redeamus, a quibus paullulum ſumus digreſſi. Ex iis, quae hactenus diſputata ſunt, nihil aliud conſequitur, quam aut nullos plane ad ſepulcra conuentus inſtituiſſe Iudaeos, quia ſine ſummae immunditiei periculo id fieri non poterat, aut propius, quam lex permittebat eos ad ſepulcra non acceſſiſſe. Poſterius confirmat locus ex MAIMONIDE a GEIERO ** citatus, qui ſic ſe habet. *Loca ſepulcrorum illicita ſunt ad commodum, nec tranſit homo iuxta ſepulcrum, intra quatuor vlnarum ſpatium, ita vt* (תפלין) *philacteria ſint in manu eius, legis liber ſub brachio eius, neque orat quis illic: quodſi vero diſtet illinc cubitus quatuor (vel ſi extra vlnas illas quatuor proximas ſit conſtitutus,) licet.* Idem ex loco *Talmudis* a GEIERO et VITRINGA *** excitato, intel-

ligere licet, vbi dicitur: coetum ſcholaſticum ad ſepulcrum HISKIAE conuenisſe, vt diſcerent ibi ſcripturam, quia multiplicauit legem in Iſrael. His enim additur, *non autem ſuper ipſum ſepulcrum conſidebant, ne polluerentur, quia nefas habetur iuxta cadauer ſacra tractare, ſed interuallo quatuor vlnarum inde remoti.* Quae quum ita ſint, non obſtat iis, quae adfirmauimus, ſummae immunditiei contrahendae periculum, quum certum lege definitum eſſet ſpatium, quod, ſi non tranſirent, nulla in eos immundities poterat deriuari. Sed ſufficiat haec pauca praemiſisſe, et ea nunc perſequamur, quae magis ad id, quod propoſitum eſt pertinent.

* Conferri hic poteſt R. MAIMONIDIS liber, quem de *immunditie ex mortuo contracta*, compoſuit. Inter alia quanta haec fuerit, ex eo fit manifeſtum, quod iſta, vt idem auctor eſt, nouendecim praecipuas immundities in ſe continuerit. conf. ſumme Venerab. SALOM. DEYLINGII *Obſeruationes ſacras Part.* III. *Obſ.* IX. *pag.* 70. *ſequent.* et PETR. ZORNIVM in *Bibliotheca Antiquario Exegetica pag.* 24.

** Aliam rationem haud contemnendam cur peccata, *opera mortua* dicantur, vid. apud GLASSIVM in *Rhetor. ſacr. Tract.* I. *Cap.* III. *pag.* 28.

*** vid. DEYLINGIVM et ZORNIVM *locis citat.*

* in libello de *Luctu Veterum Ebraeorum Cap.* VI. §. 11.

** *loc. cit. Cap.* III. §. 13.

*** *in Synagoga Veter. Lib.* I. *Part.* I. *Cap.* XI. *pag.* 224.

SECTIO

SECTIO II.

QVAE

LOCI MATTH. XXIII, 29. 30. EXPLICATIONEM CONTINET.

§. VII.

PRIVSQVAM autem ad reliqua pertexenda progrediamur, quo eorum, quae dicenda sunt, ratio eo melius constet, non praeter rem facturi videbimur, si in capitis huius, cum antecedenti, nexum ante inquisiuerimus. Sub initium huius *capitis* XXIII. *tem-*

pus definitur, quo concio, in illo comprehenſa, fuerit habita, quando dicitur: τότε ὁ Ἰησῦς ἐλάλησε τοῖς ὄχλοις καὶ τοῖς μαθηταῖς ἀυτῦ. Ex antecedentibus non difficile eſt ad intelligendum, quale tempus per illud τότε hoc loco intelligatur? Poſtquam ſcilicet optimus ſeruator, ſcribarum ac phariſaeorum vitia, hinc et inde ſub parabolarum inuolucris tecte perſtrinxiſſet, ſed absque illorum emendatione: deinde diuinam ſuam ſapientiam, quam temerario auſu, captioſis quaeſtionibus iterum iterumque propoſitis, fallere * nitebantur, in ſoluendis iis manifeſte demonſtraſſet: denique ſe Dei filium, et Dauidis Dominum eſſe, ex oraculo Dauidis *commate* 42. *ſeqq.* comprobaſſet: τότε, tunc demum haec locutus eſt ad circumſtantes.

* Verbum ἐπερωτάω, quod *capite praec. commat.* 35. et 46. inuenitur, hunc ſignificatum habere, docuit IACOB. ELSNERVS in *Obſeruat. Sacr. ad h. l.*

§. VIII.

Neque minus, ad quosnam Chriſtus hunc habuerit ſermonem, his verbis ſignificatur, ad *populum* ſcilicet atque *diſcipulos*. Nomen *diſcipulorum* interdum latiori quodam ſignificatu, praeter Apoſtolos, omnes ac ſingulos denotat, qui Chriſtum audiunt, et verbum eius fide vera amplectuntur. * Quod autem multo conuenientius *Apoſtolos* hoc loco denotet, ex eo manifeſtum fit, quod populus diſcipulis hic opponatur, cui procul dubio aliqui interfuere in Chriſtum credentes: vt etiam *Capit. ſequenti commat.* 1. *diſcipulorum* nomine, Apoſtoli intelliguntur. Tametſi vero hic populi tantum, ac diſcipulorum mentio iniiciatur, ad quos ſeruator

locu-

locutus ſit; multos tamen ex ſcribis atque phariſaeis, qui eum audiebant, adfuisſe, vero valde eſt ſimile. Abſonum itaque foret, quod populi et diſcipulorum modo mentio fiat, haec eo interpretari, quaſi Chriſtus, reueritus ſcribarum ac phariſaeorum odia, abſentes eos perſtrinxerit.

* conf. IO. GERHARDI *Harmon. Euangel. Cap.* CXVIII. *pag.* 540.

§. IX.

Quod vero ad ipſum *Caput* XXIII. attinet, in tres partes illud commode poterit diſpeſci. *Prima* agit de doctrina et moribus ſcribarum atque phariſaeorum, et antitheſin de moribus Chriſto fidelium addit: *altera* de iuſtis eorumdem poenis, propter inſignem, qua fucum aliis faciebant, ὑποκρισιν: *tertia* denique fata, quae ſubeunda ſint diſcipulis, quaeque vrbi Hieroſolymae immineant, exponit.

§. X.

Iam, quis *ſcopus* ſit, ſecundae huius orationis partis, ex qua verba, quae interpretari ingredimur, deſumta ſunt, non difficile erit definire. Quemadmodum enim in prima parte audientes inſtruere vult ſeruator, vt officium, quo ſcribae ac phariſaei fungantur, a peſſimis ipſorum vitiis probe diſtinguere diſcant; ita hic propoſitum ipſi eſt, illos, vt ab iſtis ſibi caueant, commouere, ne ementita eorum ſanctitate caperentur, atque ad perditiſſimas eorum partes abriperentur. Quam ob rem, foediſſimis iſtis capitibus perſonam detrahit, compluribusque documentis nihil eos aliud agere demonſtrat, quam vt peſſima vitia ſanctitatis ſpecie cohoneſtent. His quoque addit, *aedificationem* atque

 exor-

exornationem sepulcrorum, in quibus prophetae conditi iacebant, quos maiores ipsorum interfecerant. Illos, ad quos dirigitur haec increpatio, si respexeris, procul dubio hac grauissimarum poenarum comminatione, optimus seruator ad frugem eos perducere studet, vt praesentissimum, quod iis imminebat, exitium effugerent, et nihil ipse reliqui faceret, quo insignem suam malitiam aliquadantenus possent excusare. Neque etiam ratio adest, cur dubitemus, quosdam illorum, si non hoc ipso statim tempore; tamen post Christum in vitam reuocatum, emendatos esse, atque ad salutarem seruatoris cognitionem perductos: quamuis alii forte magis acerbati, atque peiores facti sunt.

§. XI.

Verba, quibus seruator exagitat sepulcrorum aedificationem atque exornationem, sic se habent:

> *Οὐαὶ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι, ὑποκριταὶ, ὅτι οἰκοδομεῖτε τοὺς τάφους τῶν προφητῶν, καὶ κοσμεῖτε μνημεῖα τῶν δικαίων· καὶ λέγετε εἰ ἦμεν ἐν ταῖς ἡμέραις τῶν πατέρων ἡμῶν, οὐκ ἂν ἦμεν κοινωνοὶ αὐτῶν ἐν τῷ αἵματι τῶν προφητῶν.*

Dicendorum itaque ratio, iubente ita ipsa orationis indole, quatuor absoluetur capitibus. Primo necesse erit, vt de personis agamus, ad quos haec increpatio pertinet: deinde, quaenam ipsius increpationis vis sit, indicemus: tum rationes, ob quas haec ad illos dirigitur, exponamus: denique, quomodo poenis, quas increpatio ista continet, allatae rationes respondeant, explicemus.

§. XII.

§. XII.

Itaque enarratis iis, quae ad eruendum totius loci nostri sensum viam quasi aperiunt; magis ad propositum accedere, atque circa personas, de quibus Dominus noster hic agit, nonnulla notare animus est. Pauca nimirum ex iis delibabimus, quae de scribis ac pharisaeis disseri possent: quae, si omnia persequi vellemus, amplissimus se nobis aperiret dicendi campus. * Vocem γραμματεὺς, non sectae, sed officii cuiusdam nomen esse, concordi eruditorum suffragio comprobatur, atque illud procul dubio ii, quos *scribas* vocamus, inde sortiti sunt, quod ipsas litteras diuinas, quae *Io.* VII, 15. τὰ γράμματα adpellantur, tractabant, populoque explicabant.** Origo scribarum, si non ab Esrae aetate repetenda, qui *Esr.* VII, 6. diserte סופר adpellatur, certe tamen multo antiquior est, quam sectae iudaeorum. Nam cessantibus vaticiniis, lites non necessarias de religione, partibus doctrinae, et cultu externo ortas esse; et quum ad has sententias contrarias pertinacia et ambitio accederet, tum demum sectas et haereses inde enatas esse, recte obseruatum est ab eruditissimo PETRO CVNAEO.*** Atque haec forte ratio subest, vti IO. SAVBERTVS * suspicatur, vt toties, quoties vtrorumque mentio iniicitur, scribae pharisaeis anteponantur, quod pharisaei scribis fuerint recentiores. Nihil denique scribis ad honorem defuisse, summaque illos olim polluisse auctoritate, ex eo intelligitur, quod in senatum nonnulli ex ordine illorum sint cooptati, vti Christus *Matth.* XX, 18. testatur, quando se tradendum praedicit, τοῖς ἀρχιερεῦσι καὶ γραμματεῦσι. *Pharisaeorum* nomen secundum plurimorum eruditorum sententiam,

tiam, non ab ebraeo פרס, *mercedem* retribuit, ** sed a פרש, quatenus *separandi* significatum habet, deriuandum est, quoniam ab aliis, ex sectae, cui addicti erant praescripto, erant quasi ἀφωρισμένοι. *** Illud enim huius sectae facile erat praecipuum, vt qui dediti ipsi essent, quanto fieri posset studio, sanctitati operam darent, atque prae aliis ea eminerent. Verum, quod ii facere solent, qui videri magis, quam esse sancti cupiunt, nimirum, quod vitiis, si modo tecte fiant, aut sanctitatis velum obducere iis possint, se contaminent; illud quoque de pharisaeis, foedissimis vitiis cumulatis iure dici potest, atque ita non vere illos fuisse sanctos, sed callidos tantum atque astutos sanctitatis simulatores. Interim tamen imperitiorum perstringebant oculos, et magnam sibi, hac adfectata sanctitate, et gratiam et auctoritatem * apud populum conciliabant. Adhaec de doctrina ipsorum nonnulla addenda forent: haec autem monuisse sufficiat, variis suis naeuis ac corruptelis eam laborasse, quod vix quenquam fugere poterit, qui noui instrumenti litteras diligentius euoluit. **

* Pluribus de scribis conferri potest, FRIDER. SPANHEMIVS in *Dubiis Euangelicis Part.* II. *Dub.* XXXVIII. *pag.* 395. *sequent.*

** vid. GOTTFRID. OLEARII *Obseru. sacras ad Euang. Matth. Obs.* L.

*** de *republica Ebraeor Lib.* II. *Cap.* XVII. *pag.* 322.

* in *Operibus Posthumis pag.* 332.

** Ita existimat, vir immortalis nominis, CAMPEGIVS VITRINGA in *Obseruationibus sacris Lib.* I. *Cap.* VII. *n.* IX. atque huius adpellationis rationem ex eo ducit, quod, quum Sadducaei negarent, praemia post hanc vitam esse exspectanda; pharisaei contra μισθαποδοσίαν, seu *praemii tributionem*, admiserint. Enim vero, quum omnes Iudaei, praeter Sadducaeos, doctrinam de praemiis post hanc vitam exspectandis, professi sint, licet nemo forsan dixerit, hos omnes fuisse,

fuisse, aut dictos esse *pharisaeos*; facile intelligitur, vix istam adpellationem idoneam fuisse, pharisaeos a reliquis Iudaeis distinguendi.

*** Quot modis separati esse voluerint pharisaei, vide apud DRVSIVM *de tribus sectis Iudaeorum Lib.* II. *Cap.* III.

* vid. PRITII *Introduct. in lection. N. T. Cap.* XXXIII. *pag.* 439.

** Cuius plura de pharisaeorum dogmatibus scire interest; ille adeat DRVSIVM *loc. cit. Cap.* XIV. *pag.* 87. *sequent.*

§. XIII.

Etsi vero ex iis, quae hactenus disputata a nobis sunt, scribas a pharisaeis, quum hi sectae, illi officii nomen gerant, diuersos fuisse constat; multa tamen eos ceteroquin habuisse communia, * vt ex multis aliis, ita quoque ex nostro loco manifestum fit, quum vtrique ὑποκριταὶ adpellentur. Quodsi vsum vocis ὑπόκρισις apud profanos spectamus, eam non modo *alienae personae simulationem*, quod histrionum erat, denotasse deprehendimus; sed etiam, quod mirum videri posset, *eam concinnam vocum moderationem ac gestuum repraesentationem, quae rebus, de quibus agitur, adcurate respondet.* ** Ita refert VALERIVS *** MAXIMVS de DEMOSTHENE, oratorum, quos Græcia tulit, facile principe, quod interrogatus, quidnam in dicendo esset efficacissimum? responderit ἡ ὑπόκρισις, ac quum iterum, deinde, ac tertio, interrogaretur, primum, secundum ac tertium locum ipsi adsignauit. Si quis forte quaerat, quomodo factum sit, vt vox ὑπόκρισις, quae a verbo ὑποκρίνομαι, * quod generatim *fingere*, ac *simulare* denotat, descendit, concinnae pronuntiationis, et actionis significatum acceperit, haec forte ratio subest, quod rhetor, si facundia sua male abutatur, vocis pronuntiatione, ceterisque externis, caussae peroratae vel maximam simulet veritatem, atque grauitatem.

tem. ** Relinquimus autem hunc vocis ὑποκρίσεως significatum, quia de altero potius hic agendum erit. De *histrionibus* eo sensu peculiariter adhibebatur, quia hi personas aliorum induebant, atque gestibus, verbis, actionibusque repraesentabant. Ex pluribus profanorum locis, quibus id confirmari potest, vnicum LVCIANI *** excitare liceat. Ἀλλ' οἱ μεν, inquit, τοῖς τραγικοῖς ὑποκριταῖς εἰκάσουσιν· οἱ ἐπὶ μὲν τῆς σκηνῆς Ἀγαμέμνων, ἕκαστος αὐτῶν ἢ Κρέων, ἢ αὐτὸς Ἡρακλῆς εἰσιν ἔξω δὲ Πῶλος ἢ Ἀριστόδημος, ἀποθέμενοι τὰ προσωπεῖα, γίγνονται ὑπόμισθοι τραγῳδοῦντες, ἐκπίπτοντες καὶ συριττόμενοι· ἐνίοτε δὲ μαστιγούμενοί τινες αὐτῶν· ὡσὰν τῷ θεάτρῳ δοκῇ· *Verum alii, te tragoediarum actoribus adsimilabunt: quorum quisque in scena quidem est, vel Agamemnon, vel Creon, vel ipse Hercules; extra vero Polus, aut Aristodemus, depositis personis fiunt mercenarii tragoediae actores, qui excidunt, et exsibilantur, et quorum aliqui nonnunquam flagris caeduntur, vt spectatoribus visum fuerit.* Nihilominus tamen ὑποκριτὴς ille etiam dicitur, qui extra scenam personam alterius agit, quod itidem, vti CORNELIO ADAMI * obseruatum est, ex LVCIANO constat. Nam Polystratus Luciani defensionem suscipiens, οὐ φαῦλον, inquit, με ὑποκριτὴν ἕξων τῆς ἀπολογίας, *me tuae defensionis actorem non malum habeas*, et alio loco, ὅπως ἄριστα ὑποκρίνῃ, *vt personam alterius optime agas*. Ita quoque saepissime ad animum transfertur, vt fictos atque adsumtos mores exprimat, qua ratione mali philosophi vestitu et barba veris philosophis similes, sed vita et moribus dissimillimi, histrionibus conferuntur a LVCIANO. Quo vero sensu in sacris vsurpetur litteris, ex variis loquendi formulis, quibus illa μόρφωσις

εὐσε-

ἐυσεβείας, vt 2. *Tim.* III, 5. σχῆμα, vt 2. *Cor.* XI, 13. 14, et *Apoc.* II, 2. *mendacium* adpellatur, haud difficulter intelligitur. Nimirum *fictam* et *simulatam pietatem* denotat, quoniam ii quoque, qui pietatem externis verbis, gestibus, et actionibus simulant, quum in corde improbi sint atque a Deo auersi, veri histriones, alienam personam repraesentantes, nominandi sunt. Hinc Syrus interpres satis adcommodate *hypocritas*, *adsumentes vultus* vocat, hoc est *histriones personatos Matth.* VI, 2. *Cap.* VII. 5. XXIII. 13. quemadmodum etiam LXX. verbum חנף hypocritae nomine exprimunt *Iob.* XXXIV, 30. *Cap.* XXXVI, 13. quod *simulatorem*, *occulte peccantem*, *intus malum*, *foris bonum significat.* Quae quum ita sint, seruatorem optimum, quando scribas ac pharisaeos ὑποκριτὰς adpellat, nihil aliud significare voluisse manifestum est, quam eos esse homines ingenio malo, prauoque, qui nihil minus, quam tales sint, quales videri velint, sanctitatemque istam, quam prae se ferant, mere esse adfectatam.

* vid. summe venerab. SALOMON DEYLINGII *Obseruationes sacr. Part.* III. *Obs.* XXVIII. §. 2.

** vid. Ill. IO. GVILIELMI BERGERI *Diatriben historicam de hypocrisi oratoria.* Vitembergae CIϽ CC XXIII.

*** *Lib.* VIII. *Cap.* X.

* Ita HERODIANVS *Lib.* I. *Cap.* I. ἕκαστος ὃ βούλεται σχῆμα, ὑποκρίνεται.

** conf. Summe venerab. IO. GEORG. WALCHII *Dissert. de Hypocrisi haereticorum maxime vetustiorum* §. 2. *n.* ** Ienae MDCCXXXIII.

*** *Apolog. pro iis, qui mercede conducti seruiunt. Tom.* I. *Oper. pag.* 487.

* *in Obseruat. Theologico philologicis Cap.* III. §. XIII. *pag.* 115.

§. XIV.

Progredimur nunc ad ipsam increpationem considerandam, qua Dominus noster contra scribas ac pha-

risſaeos vtitur, atque particula οὐαὶ continetur. Adhibent eam LXX. pro אוי *Num.* XXI, 29. 1. *Sam.* IV, 7. pro הו *Amoſ.* V, 16. 1. *Reg.* XIII, 30. *Eſ.* I, 4. et pro הוי *Ezech.* II, 10. quae voces ex ſono lugentium, et imprecantium formatae eſſe videntur. Quodſi particula haec in vaticiniis occurrit, *praedicentis* eſt, ac *comminantis* ventura mala, ſiue ſint *temporalia*, et huius vitae, vt *Matth.* XXIV, 19. *Marc.* XIII, 17. *Luc.* XXI, 23. ſiue *aeterna*, et futurae vitae, vt *Matth.* XVIII, 7. *Vae! homini, per quem ſcandala veniunt*, et *Cap.* XIV, 21. *Vae! Iudae proditori.* Ita quoque aeterna mala ſcribis ac phariſaeis in noſtro loco denuntiat: quod etiam ex tota oratione, praeſertim ex *commat.* 33. intelligitur, vbi Chriſtus dicit, *progenies viperarum! quomodo effugietis iudicium gehennae?* Quamuis vero particula haec ex eo, quod toties in antecedentibus iam repetita eſt, multo maiorem vim accipit, quae addito pronomine ὑμῖν valde intenditur, vt etiam in locis *Matth.* XI, 21. *Luc.* X, 13. obſeruatur; tamen non tantum *comminantis* ac *praedicentis*, ſed et *deplorantis* et *commiſerantis* illam hoc loco eſſe, extra diſceptationem ponitur, quod ſeruator nullo modo ipſorum delectetur interitu. *

* conf. GLASSII *Grammat. ſacr. Lib.* III. *Tract.* VIII. *Canon.* IV.

§. XV.

Explorata increpationis huius vi atque indole; animum ad cauſſas attendamus, quae tam tremendam in ſcribas ac phariſaeos ſententiam, prouocarunt. Duae hic allegantur, *facta* ſcilicet ac *dicta* illorum. *Facta*, *commat.* 29. ſequentibus verbis continentur. ὅτι οἰκοδομεῖτε τοὺς τάφους τῶν προφητῶν καὶ κοσμεῖτε τὰ μνημεῖα τῶν δικαίων.

δικαίων· Ad totam hanc phrafin quod attinet, *ellipfin repetitionis, ex praecedenti et confequenti membro complexae*, vt cum GLASSIO loquar, in ea latere, paucis monuisfe fufficiet. Ita enim GLASSIVS, * *non tantum aedificabant; fed etiam ornabant fepulcra prophetarum, nec tantum ornabant; fed etiam aedificabant monumenta iuftorum.* *Iufti* nobis funt, qui tum in vita, ceterisque moribus operam dederunt iuftitiae, tum maxime ii, qui non propter facinora, fed propter iuftitiam funt occifi, vti ex *commate* 35. adparet. ** Verbum οἰκοδομεῖτε reddere nonnulli malunt *exftruitis*, quam *aedificatis*, fuaeque fententiae hanc rationem reddunt, quod τὸ οἰκοδομεῖν *aedibus* magis conueniat, quam *fepulcris*. Docuit autem IO. PRICAEVS *** *locutionem* οἰκοδομεῖν τάφους, nec *inelegantem* nec *impropriam* effe, atque *fepulcra* recte adpellari *aedes mortuorum*, inter alia ex *Leg.* IV. *Codic. Theodof. de fepulcrorum violatione*, comprobauit, vbi dicitur: *qui ædificia manium violant, domus, vt ita dixerim defunctorum.* Praeter ea, vt Graeci haud raro dicunt, obferuante IO. GERHARDO, * οἰνοχοεῖν ὕδωρ, cum tamen in verbo οἰνοχοεῖν vini mentio includatur; ita quoque nemini infolens videri poteft, verbum οἰκοδομεῖν de quauis ftructura nonnunquam vfurpari. ** Quemadmodum itaque plurimi interpretes τὸ οἰκοδομεῖν de *monimentorum aedificatione*; fic etiam τὸ κοσμεῖν de *artificiofa* eorumdem *exornatione* interpretantur. Quod etiam fatis commode fieri posfe, plane non repugnamus, quum verbo κοσμέω, ifta quoque notio refpondeat: nec abhorreat a Iudaeorum confuetudine, vti fupra docuimus, quod fplendidis fepulcra ftructuris exornauerint. Placent tamen ea,

quae doctissime a IACOBO ELSNERO, *** viro in his litteris versatissimo, obseruata sunt, quae ideo haud omittenda esse duximus. Existimat nimirum, haec ritum respicere Graecorum; quando vel ludos exsequiales, honoris caussa, iuxta sepulcra instituebant, vel conuenientes ad sepulcra, laudes defunctorum orationibus commemorabant, vel alia edebant honoris ac venerationis signa. Qui enim id agebant, illos τάφους defunctorum κοσμεῖν Graecis dictos esse, locis ex Graecis scriptoribus citatis confirmat. Ita enim DEMOSTHENES in *Orat. funebri*: Καὶ γὰρ εἰ μὲν εἰς χρημάτων δαπάνην ἤ τινα ἄλλην θεωρίαν ἱππικῶν, ἢ γυμνικῶν ἄθλων ἐτάχθην κοσμῆσαι τὸν τάφον, προθύμως ἂν τούτω παρασκευασάμην. *Etenim, si id mihi muneris esset datum, vt sepulturam vel magnificentia sumtuum, vel aliquo spectaculo equestrium gymnicorumque certaminum ornarem, studiose id facerem.* Sic quoque Alexander M. Aristobulo id negotii dabat, κοσμῆσαι τῷ κύρῳ τὸν τάφον, apud ARRIANVM: atque Plataeenses Graecorum, qui praelio contra Mardonium occubuerant, sepulcra, publica quotannis religione coluerunt. Quae quum ita sint, non adeo a vero abludere videtur, his verbis significari, quod ad exstructa prophetarum monimenta, scribae ac pharisaei honoris caussa saepe confluxerint, eorundemque laudes multis ornauerint praeconiis: quum graeca vocabula, nisi de rebus sublimioribus ac diuinis sermo sit, ex aliis graecis scriptoribus exponenda ac illustranda sint, * moremque, huic fere similem, Iudaeis receptum fuisse, supra a nobis est comprobatum. ** *Dicta*, quae cum sepulcrorum aedificatione coniungunt, sic se habent; Εἰ ἤμεν ἐν ταῖς ἡμέραις τῶν πατέρων ἡμῶν, οὐκ ἂν ἤμεν κοι-

νωνοὶ αὐτῶν ἐν τῷ αἵματι τῶν προφητῶν· *Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non fuissemus socii eorum, in sanguine prophetarum.* *Sanguinem* hoc loco per metonymiam pro *caede* poni, vix opus est, vt moneatur. Neque minus haud difficulter intelligitur, quid his verbis voluerint indicare. Sanctam scilicet apud se esse illorum memoriam, qui innocentes, cruentis maiorum manibus sunt interemti. Tantum abesse, vt, si illorum attigissent tempora, in exsecranda haec consilia conspirassent, vt potius contra immanem istam saeuitiam, caussam eorum suscepturi fuissent: et quum alia ratione grata, quae deberent officia, exhibere iis haud possint; ideo ad sepulcra, in quibus exuuiae illorum sint repositae, se conferre. Multo itaque parentibus se meliores iactitant, omnique suspicione se exsoluere volunt, fore, vt contra suae aetatis prophetas nefarie aliquid molirentur. ***

* in *Grammat. sacr. Lib.* IV. *Tract.* II. *Obs.* XIII. *pag.* 126.

** IO. HENR. HOTTINGERVS in *not. ad Cippos ebraicos* p. 26. nomina *prophetarum* ac *iustorum* inter nomina dignitatum numerat, quibus Iudaei patres suos, antistites et doctores adpellare soliti fuerunt, ante, et post Christum natum.

*** in *Matthaeo ex sacra pagina, patribus, et gentium scriptoribus illustrato, ad hunc loc.*

* in *Harm. Euangel. Cap.* CLVIII.

** Ita quoque verbum χορτάζω, quod a χόρτος, *gramen*, descendit, et proprie significat, *gramine pasco, saturo bruta*, de hominibus adhibetur *Io.* VI, 26.

*** in *Obs. sacr. in Nou. Foed. libros Tom.* I. *pag.* 106.

* conf. desideratissimi parentis TOBIAE ECKHARDI *Technicam sacram Cap.* IV. §. XXII. *pag.* 126. et IO. FECHTII *praefation.* RAPHELII EX XENOPHONTE in N. T. *adnotationibus* praemissam.

** Non alienus ab hac sententia esse videtur vir S. R. IO. CONR. SCHWARTZIVS, quando verba κοσμεῖν τὸν τάφον, ita reddit: *luctum testari ad sepulcrum alicuius magnifice exstructum* in *Comment. Crit. et Philolog. Ling. Graec. N. Foed. voce* κοσμέω.

*** conf. IO. GERHARDVM *loc. cit. Cap.* CLVIII.

§. XVI.

§. XVI.

Has autem, quas iam explicauimus, veras causſas eſſe, quare ſcribae ac phariſaei *vae* iſti horrendo obnoxii fiant, particula ὅτι * his praemiſſa, manifeſte indicat, cuius vim et Syrus interpres exprimit, quando verba haec reddit ܕܒܢܝܢ ܐܝܬܝܟܘܢ *quia aedificantes vos*, ſcil. eſtis. Fuerunt quidem nonnulli, qui non αἰτιολογικῶς, ſed *expletiue*, vt alias ſaepe fieri ſolet, particulam ὅτι et hoc loco poni exiſtimarunt: quum autem nihil adſit, quod illud requirere videatur, atque toties in antecedentibus ſignificatione αἰτιολογικῇ vſurpetur; ii praeter rationem agere videntur, qui hoc loco alium huic particulae ſignificatum adfingunt, quod et infra luculentius patebit.

* conf. GLASSIVM in *Grammat. ſacr. Lib.* III. *Tract.* VII. *Canon.* XVII.

§. XVII.

Deueniamus tandem ad id, quod caput rei eſt, et quod maxime noſtrarum erit partium, vt ſcilicet oſtendamus, quomodo poenae, nullis terminis finiendae, quas *vae* iſtud continere iudicauimus, cum dictis et factis ſcribarum ac phariſaeorum conciliari poſſint. Certe, quod iam adgredimur opus, non plane nulla difficultate laborat. Quare enim *vae* horrendum ſcribae ac phariſaei audiunt, quum nihil agere videntur, niſi quod ſingularem erga veros prophetas cultum ac reuerentiam declarat? Quare tantis olim mactandi ſunt ſuppliciis, qui toto pectore a maiorum ſceleribus ſe abhorrere profitentur, eorumque facinora exſecrantur? Quid tandem mali in eo eſt, quod prophetarum a patribus occiſo-

occiſorum ſepulcra aedificent atque exornent? Mali tamen, immo nefandi quid hic reconditum eſſe debere, certo certius ex eo fit, quod plane credibile non eſt, ſeruatorem ſine grauiſſima cauſſa, tantas illis poenas denuntiasſe.

§. XVIII.

Quemadmodum permultis N. T. locis, ex Talmudiſtarum, vt vocant, monimentis, IO. LIGHTFOOTVS, * vir harum litterarum peritiſſimus, lucem adfundere conatus eſt; ita quoque, ad hanc difficultatem diluendam, praeſidium ex iis aduocat. Obſeruauit nimirum, *in Gemara Hieroſolymitana ad Tractat. Talmudic. de ſiclis*, hanc ſententiam exſtare, אין עושין נפשורת לצדקים דברחן הן זכרונן quae verba ſic reddit: *ἐ κοσμῦσι μνημεῖα τῶν δικαίων, nam dicta eorum ſunt memoria eorum.* Quibus verbis, quum vocabulum נפשות, vti ſupra a nobis adnotatum eſt, *ſtructuras memoriae cauſſa ſepulcris impoſitas*, denotet, iniuriam quandam iuſtis fieri ſignificari exiſtimat, ſi ſtruantur ipſis monimenta ſepulcralia: verba enim ipſorum, potiora eſſe monimenta, memori mente reponenda. Illum itaque, qui iuſtis monimenta exſtrueret, ignominiae labe ex mente Talmudiſtarum eos adſpergere, quaſi non reliquiſſent ſermones, quibus ipſorum memoria multo ſanctius coleretur. Verba LIGHTFOOTI ſic ſe habent: *Num tam diram maledictionem meruit ornare ſepulcra prophetarum et iuſtorum? Pietatis nonne hoc fuit potius quam alicuius reatus? At ſecundum doctrinam propriam o ſcribae et phariſaei* דבריהן הן זכרונן, *dicta et facta eorum ſat iis memoriae: cur haec non colitis, ſequimini, imitamini.* Calculo ſuo, hanc LIGHTFOOTI ſenten-

tiam, dignam iudicauit HERMANNVS WITSIVS, ** et neminem, eo verosimilius de hypothesi, tunc iis notissima, licet nobis minus explorata, disseruisse statuit. Addit tamen, *fortassis et alia subsunt, nobis nunc incognita*. At incerta haec esse, et vix ratione aliqua probari posse, quod Christus increpatione sua huc respexerit, nullo negotio intelligitur. Deinde, vt nimis a vero abludere videtur, ex humani mandati violatione, omnem, tam acerbae increpationis, vim petendam esse: ita haud necessarium esse iudico, vt, quum ipsa oratio ab iis instructa sit, extrinsecus adminicula interpretationis arcessantur.

* in *Horis Ebraic. et Talmud. ad hunc locum.*
** in *Miscellan. sacr. Lib.* I. *Cap.* XXI. §. LIX.

§. XIX.

Quodsi itaque ex ipsa orationis indole, sensum huius loci verum eruere velimus, non rectius credo versabimur, quam si ad id animum attendamus: *vae* illud, vti saepius in antecedentibus; ita et hoc loco, ob ὑπόκρισιν scribis ac pharisaeis poenas grauissimas denuntiare: quod et ideo extra dubium positum esse videtur, quia diserte, ὑποκριταὶ, adpellantur. * Quum autem omnis ὑπόκρισις, et quae latius patet, *simulatio*, actionis *internae* atque *externae* dissensum arguat: sensa vero animi multis modis ab actione differre possint externa; quicquid sit, quod pectore clausum habuerint, ac larua pietatis obtegere conantur, ex ceteris illorum moribus colligendum erit. Quemadmodum enim mores eorum ita comparati erant, vt, quum facta et dicta, quae hic allegantur, agendi eorum rationibus consuetis manife-

ste

ſte repugnent, ** quamuis additum non eſſet, haud obſcure proderent, illos egisſe hypocritas: ita quoque, quid ſub hac ſepulcrorum aedificatione atque exornatione, reconditum fuerit, ſuſpicari ex iis licebit. Quodſi igitur ſuperiorum temporum memoriam animo ac mente recolimus, ſtatim in oculos incurret, nihil iis magis inimicum fuiſſe, quam veros prophetas, quorum neque doctrinam ferre, neque liberiorem vitiorum caſtigationem tolerare poterant. Nihil enim aliud in cauſſa erat, quare odium, non niſi morte explendum, cuius tot veſtigia in ſacris litteris expreſſa ſunt, aduerſus Chriſtum, prophetarum principem, conciperent: quam quod a variis, quibus tum inquinata erat, corruptelis, eorum doctrinam repurgaret: populo, vt a fermento huius doctrinae ſibi caueat, praeciperet: et quantis ipſi vitiis contaminati eſſent, palam faceret. Quod eo magis e re ſeruatoris erat: quo maiorem vitae integrae ſanctitatisque opinionem, apud populum ſibi conciliauerant: quaeque ita inſederat, vt difficile eſſet radicitus eam euellere. Quae quum ita ſint, candidam ac ſinceram mentem ipſis fuiſſe, quum tantum erga veros prophetas cultum prae ſe ferunt, vix cuiquam, qui rectis iudiciis rem aeſtimat, perſuadebunt. Et quum ingenii cum maioribus ſimilitudinem, crudelitatisque ſuſpicionem tanto molimine a ſe auertere conentur, cum tamen Chriſti et ſequacium ſanguinem iam ſitirent; ſub his reuerentiae ſignis, *crudelitatem* latere, ſi ex moribus ſpectentur, vero quoque ſit quam ſimillimum. Ipſa etiam orationis indoles tam manifeſtis indiciis hoc demonſtrat, quod infra patebit, vt in eo omnes propemodum interpretes conſentiant: *** licet

multum dissentiant, qua ratione scribae ac pharisaei, eo quod aedificent atque exornent sepulcra prophetarum, crudelitatis sint coarguendi.

* conf. hic HAMMONDVM in *Annotat. ad Luc.* XI. *commat.* 47.
** vid. Perill. WOLFFII *Vernünfftige Gedancken von der Menschen Thun und Lassen.* §. 205.
*** vid. IO. GERHARDI *Harmoniam Euangel. Cap.* CLVIII. *pag.* 595.

§. XX.

Fuerunt nonnulli, qui ipsam monimentorum aedificationem atque exornationem, *tanquam opus, hypocrisin, ac imitationem maiorum arguens*, hoc loco taxari existimarunt, ex quibus HAMMONDVM * atque IO. MARCKIVM ** nominasse sufficiet: atque illud ex vi τȣ̃ ὅτι, *αἰτιολογικῆ* colligendum esse statuunt. Haec autem ratio ab iis suppeditata, vix eo valebit, vt monimentorum aedificationem, si sola spectetur, reprehendendam esse euincat. Etenim, simili ratione haec *decimare mentham, anethum, et cuminum*, quorum *commat.* 23. mentio fit, per se mala sic euaderent, cum tamen Christus, non simpliciter improbet ἀποδεκάτωσιν, sed potius praecipiat eam, si modo βαρύτερα τȣ̃ νόμȣ haud omittantur. *** Praeterea vix induci possum vt credam, tam callidos, vt isti erant, simulatores, ita male sibi prospexisse, vt ad testandam erga prophetas reuerentiam, eiusmodi vsi sint remedio, quod non obscuris indiciis, tam contraria destinationibus suis proderet. Quamuis itaque inficiari nollem, quum a scribis ac pharisaeis, hominibus perditissimis, haec sepulcrorum aedificatio atque exornatio institueretur, haud pauca cum ea coniuncta fuisse, quae grauissimam censuram

ram merentur; tamen, si seorsum consideratur, nihil eam, quod reprehendi possit, in se continere, cum IO. CLERICO * existimo.

* in *Annotat. ad N. T. ad locum Luc.* XI. *commat.* 47. Verba HAMMONDI sunt: *Existimarim ipsam illam sepulcrorum exornationem exprobrari Iudaeis, quasi symbolica haec esset crudelitatis eorum significatio.*

** Ita disputat. in *Exercitationibus Textualibus n.* XXVI. verba eius, recenset IO. CHRISTOPHORVS WOLFFIVS in *Curis Philologicis et Critic. ad loc. Matth.* XXIII, 29.

*** conf. summe venerab. SALOM. DEYLINGII *Obseru. sacr. Part.* III. *Obs.* XXVIII. §. V. *sequent.*

* Addit ad verba HAMMONDI citata: *quae hic noster molitur contorta sunt.*

§. XXI.

Non multum ab horum sententia alii absunt, qui ipsum, monimenta instaurandi studium, hoc loco reprehendi statuunt: quoniam scilicet: *libenter eorum sepulcra exstrueremus, quos nollemus superstites*, atque ex eo, *arcanum cum patribus consensum, siue ipsam crudelitatem*, deducere volunt. Quemadmodum enim ii, qui Romulum occiderunt, haud aegre illum in Deorum retulerunt numerum; atque Caracalla, fratrem Getam diuum esse haud repugnauit, modo non viuus esset; ita quoque pharisaeos lubentes, hoc occisis prophetis officium praestitisse, quoniam nullo modo obstare, aut officere iis amplius poterant. Huic sententiae, inter alios, addicti sunt GROTIVS,* ALEXANDER MORVS,** IO. CONR. DANHAVERVS.*** Reiicit vero eam, tanquam nimis subtilem HERMANNVS WITSIVS,* et haud facile quenquam eorum, qui audiebant, fuisse commonet, qui haec, legitime deducta esse intellexerit. Addendus his quoque est PETRVS POSSINVS,** qui quidem agnouit, subtilia haec esse, atque sic leui argumento,

parentum crimina ad filios trahi: sed, quia ad legisperitos dirigeretur oratio, ideo tam arguta cauillatione seruatorem nostrum vsum esse, sibi persuadet. Nimirum, iniustam eorum calliditatem, qua leuissimis argumentis, crimina ad insontes traxerint, oblique hic reprehendi existimat. Quasi diceret: *Vae! vobis, qui tam iniuste ac calumniose versamini in hominibus ex vana coniectura criminandis, vt si vestro in vos agatur exemplo, iure rei peragi possitis, caedis prophetarum a patribus vestris patratae, quod eorumdem prophetarum sepulcris aedificandis, consequens quiddam ad eorum necem operemini.* Licet vero, quum iuri dicundo praeessent legisperiti, multum iniustitiae eos exercuisse, facile concesserim; tamen non possum non cum IO. CHRISTOPHORO WOLFIO*** sentire, qui, vix, haec tam ingeniosa, cum aperta, et simplici dicendi ratione seruatoris nostri, conciliari posse, opinatur. Et cur adeo tecte et oblique eos reprehenderet seruator? postquam tot obiurgationibus nihil profecit, ipseque in eo iam sit, vt totam scribarum ac pharisaeorum malitiam retegat, populoque ob oculos ponat.

* vid. ABRAHAMI CALOVII *Biblia illustrata ad h. l.*
** in *Not. ad quaed. Noui Foederis loca, ad h. l.*
*** in *Hermeneutica sacra pag.* 359.
(* in *Miscell. sacr. Lib.* I. *Cap.* XXI. §. LVIII.
** conf. ipsius spicilegium *Euangel. cum Obs.* PAVLI RAMIRESII de Prado, et ALEXANDRI MORI, a IO. ALBERTO FABRICIO *Hamburg. editum* M DCC XII. §. VI. *pag.* 19.
*** vid. eius Curas *philologic. et Critic. ad Luc.* XI, 47.

§. XXII.

Quemadmodum itaque hae a nobis allatae interpretum sententiae, ob varias rationes vix locum habent, in

in quo consistere possint; ita quoque vbi multa simulate, multa improbe facta videntur; ibi plus fraudis ac malitiae latere credendum est, quae non modo antiquiores, sed suae aetatis prophetas inprimis spectauerit. Reuertamur itaque ad temporum istorum rationem animo comprehendendam. Illud audiuimus plus vna vice, vitam Christi infestam insidiis ab iis esse adpetitam. At non omnino nulla erat Christi apud populum auctoritas, quam tum doctrinae efficacia, *Marc.* I, 22. tum miraculis compluribus editis sibi conciliauerat, adeo, vt apud plurimos opinio valeret, magnum eum esse prophetam *Ioh.* VI, 14. Haec saepe numero turbabat nefaria ipsorum consilia, haec efficiebat, vt tametsi caedis faciendae occasio iis daretur; non tamen auderent vim ipsi manifestam inferre. Iam vero quid verosimilius est, quum aperte non possent, nec sine caussa liceret, quam vt clanculum, quibuscunque possent artibus, insidias ipsi struxerint, omnibusque modis in eo laborauerint, vt non tantum concitatam istam de Christo opinionem delerent; sed illam quoque in acerrimum repente odium conuerterent atque commutarent? Quid autem ad exsequenda, tam detestanda consilia adcommodatius, quid vitae Christi et sequacium perniciosius excogitare potuissent, hac summa verorum prophetarum veneratione, crudelitatisque maiorum exsecratione, quam aedificatione, atque exornatione * sepulcrorum testatam faciebant? Nonne enim bonus aliquis, qui ex sua natura ceteros fingere solet, ita in opinionem venire poterat, fore, vt non dicam ignominia veri prophetae ab iis adficerentur; verum etiam, quod minus verisimile, nefaria ac crudeli morte interimerentur? Quanto autem

tem facilius erat imperitae plebi, cui vni imposuisse sufficiebat, fucum vendere, eamque vt credat inducere: nec iustos illos esse, nec veros prophetas, qui a scribis ac pharisaeis, tantum prophetarum cultum prae se ferentibus, ad necem quaererentur? Atque haec est fraus ista, haec summa ista malitia, quam cum sepulcrorum aedificatione coniunctam fuisse, vero fit quam simillimum. Ea scilicet mente ab iis excitata, atque exornata esse occisis prophetis monimenta, vt eo liberius sui temporis prophetas occidere possent. Ita enim laxabantur crudelitatis frena, quae a populo huc vsque cohibebantur: ita nihil opus erat occultare amplius sanguinaria consilia, sed palam ea exsequi poterant: ita iis licebat Christo, qui se prophetam esse adfirmabat, eiusque adseclis mortem crudelissimam offerre, quoniam pie, iustitiaeque zelo fieri videbatur, si hos, vti mentiebantur, improbos, ac praue de rebus diuinis sentientes, supplicio adficerent, atque e medio tollerent, vt legem et prophetas ab iniuria vindicarent. Nemini in mentem venire poterit, haec nimis dura, aut acerba esse. Quid enim ab his simulationis artificio tam eruditis, tam improbis atque sceleratis boni sperari, aut quid potius mali metui non potest?

* Si eam interpretationem, vocis κοσμεῖτε cuius supra mentionem fecimus, admittimus, vt significet: *eos honoris caussa ad sepulcra prophetarum conuentus instituisse*, multo difficilius fuit, fraudem istam intelligere.

§. XXIII.

Itaque, quando Christus dicit: *Vae! Vobis scribae ac pharisaei, hypocritae, quia aedificatis sepulcra prophetarum, atque exornatis monumenta iustorum*, verba, *eo consilio*,

filio, vt eos, qui hoc tempore, ad vos mittuntur, interficiatis, ſupplenda erunt. Illud autem non ſine ratione adfirmasſe videbimur, quum haec verba, non ſine vehementiori animi commotione prolata eſſe, probatione vix indigeat. Ecquis vero ignorat, eos, qui ira vel indignatione commoti loquuntur, minus ſaepe numero verbis ſignificare, quam ab aliis intelligi velint, quod tamen ad ſupplendum facillimum eſt? * Sic quoque audientes, facile mentem Chriſti plene percipere potuiſſe, ex eo credibile fit, quod tot iis documentis iam innotuerat, quam male ad tegenda vitia ſanctitatis oſtentatione abutantur, nec fugere eos poterat, quanto erga Chriſtum, eiusque adſeclas odio ferantur. Quamuis auctoritate non pugnandum ſit; tamen, ne quis exiſtimet, plane nullos exſtitisſe huius ſententiae patronos; ab ea, TOLETVM, ** IO. GERHARDVM, *** atque ANTONIVM BLACWALLVM, * inclitum Britanniae philologum, non fuisſe alienos, indicasſe iuuabit.

* conf. S. R. IOACH. EHRENFR. PFEIFFERI *elementa Hermeneutic vniuerſalis Cap.* III: §. 65. *n.* 2.

** Verba TOLETI *ad Luc.* XI, 48. ſic ſe habent. Vos autem aedificatis ſepulcra, *hoc fine, vt videamini religioſi, ideoque pie me perſequi.*

*** in *Harmon. Euangel. Cap.* CLVIII. *pag.* 595.

* in *Critic. ſacra: Nou. Teſtamenti* a CHRISTOPHORO WOLLIO edita *Tom.* I. *Part.* II. *Cap.* VII. §. VIII.

§. XXIV.

Quod ex his, iam adductis rationibus, veritati quam maxime conſentaneum ſit, crudelitatem nimirum verbis noſtris perſtringi, ideo quod eo conſilio aedificabant atque exornabant ſepulcra, vt ſui temporis prophetas eo facilius occidere posſent; illud

lud ex iis, quae insequuntur, ita patebit, vt vix dubitationi locus remaneat. Hanc enim consequentiam *commate sequent.* ducit seruator: ὥςε μαρτυρεῖτε ἑαυτοῖς, ὅτι υἱοί ἐςε τῶν φονευσάντων τοὺς προφήτας. *Itaque testamini aduersus vos ipsos, quod filii sitis eorum, qui occiderunt prophetas.* Verba μαρτυρεῖτε ἑαυτοῖς, *testamini aduersus vos ipsos*, reddenda esse, docuerunt GLASSIVS * in *Grammat. sacr.* et RAITHIVS ** in *vindiciis versionis Luther.* Ad vocem υἱοὶ quod attinet, eius hoc loco *aequiuocationem*, *** vt vocant, omnes propemodum interpretes agnoscunt, et sola ea significatio, qua illos, qui natales ab istis προφητοκτόνοις traxerunt, denotat, vix quoque poterit admitti. Nonne enim eo, quod se filios naturales esse eorum, qui prophetas occiderunt, testentur, ita detestabiles fiunt, vt *vae* isti horrendo obnoxii fiant? Nonne hoc adeo iis aduersum erat, vt tam dira increpatio iis conueniat? Fieri quidem solet, vt filii, a parentibus pessimae notae oriundi, certa ratione ex dedecore illorum aliquid trahant, tantum vero abest, si ad frugem redeunt, vt nota in eos deriuata, maneat ipsis perpetua, vt potius eluant eam, et laude eo maiori digni videantur, quo facilius fuisset, vt pessimo exemplo a recta abducerentur, atque ad similia flagitia patranda adlicerentur. Quemadmodum enim multo foedius iure merito reputatur, quando filii, ad verae virtutis studia quam diligentissime instituti, egregioque parentum exemplo idemtidem admoniti, nihilominus degeneres fiunt: ita quoque longe praeclarius habendum, si alii parentum exemplo ad praua magis stimulati, suopte ingenio reuertuntur, virtutisque studia

con-

conſectantur. Neque etiam locus *Exod.* XX, 5. vt videri poſſet, iis, quae adfirmauimus, obſtat, vbi Deus in lege ſua minitatur, *ſe iniquitatem patrum in filiis, ad tertiam et quartam vsque generationem vindicare velle;* quum, ſi verba haec ſtricte ſumantur, non quarta, ſed longe remotior, a προφητοκτόνοις eſſet generatio. Vt etiam in loco iſto ad verba addita, *qui oderunt me*, potiſſimum reſpiciendum eſt, quae non tantum ad parentes, ſed ad filios quoque referri debent, nihilque aliud denotant, quam *qui ita me oderunt, ſicut parentes*, hoc eſt, qui eadem indole praediti ſunt, ad peccandum propenſiori. * Quae quum ita ſint, vox υἱοὶ tales inprimis filios hoc loco denotabit, qui, ſi ingenium, mores, et facta ſpectes, parentibus ſunt quam ſimillimi. Neque etiam inſolens, aut inuſitata eſt haec vocis ſignificatio. Impii enim, quando in variis noui inſtrumenti locis, inter alia 1. *Io.* III, 10. *filii diaboli* ** audiunt, non aliam ob cauſſam ita adpellantur, quam quod diabolum, ὁ ἀπ' ἀρχῆς ἁμαρτάνει, 1. *Io.* III, 8. imitentur, hunc moribus, et actionibus ſuis exprimant. *** Nihil itaque aliud ſeruator his verbis ſignificare vult, quam eos, dum ſepulcra exſtruant, praecipue animi cum maioribus ſimilitudinem teſtatam facere, quod eo quoque confirmatur, quod *commat.* 33. ὄφεις et γεννήματα ἐχιδνῶν * eos adpellet, vt etiam verbum συνευδοκεῖτε, quod in loco, huic, vt vocant, parallelo, inuenitur, illud manifeſte indicat. **

* *Lib.* III. *Tract.* II. *Can.* VI.

** *pag.* 343.

*** conf. GOTTFRIDI OLEARII *Obſeru. ſacr. ad Euang. Matth. Obſeru.* LXIX. *pag.* 641.

* vid. pluribus IO. GERHARDI *Harmoniam euangelicam Cap.* CLVIII. et M. PHILIPPI MVLLERI diſſertationem, ſub praeſidio IO. MV-

SAEI habitam, *de stupore dentium e gustu omphacis alieno, siue de iure puniendi liberos ob peccata parentum* §. X. Ienae 1674. et b. IO. GVSTAVI REINBECCII *Theologische Abhandlung von der Erlösung Part.* I. §. XXVI.

** Huc referri etiam poterit locus *Io.* VIII, 44. vbi impii dicuntur ἐκ πατρὸς τοῦ Διαβόλου esse, quem WOLFFGANG. FRANZIVS in *Tractat. de interpret. Orac.* VII. *pag.* 129. ita παραφράζει: *Vos ex meis praedicationibus atque miraculis conuicti estis in conscientia, quod nullius criminis reus sim, et tamen indesinenter contra conscientiam odisse pergitis, trucidare molimini, iuxta morem patris vestri diaboli, qui me indesinenter ita persequitur, et exstinctum cupit.*

*** vid. FLACII *Clauem scripturae sacrae pag.* 335.

* His enim verbis significatur, malitiam ipsorum non solum antiquam, sed etiam haereditariam esse, *quid enim a serpente exspectabis nisi morsum? quid a vipera, nisi venenum? quid a pharisaeo, nisi odium Christi et veritatis, nisi libidinem occidendi iustos?* vid. BENEDICT. ARETIVM in *Commentar. in Euang. Matth. ad h. l.* conf. RAMBACHII *Hermeneuticam sacram Lib.* I. *Cap.* III. *pag.* 63.

** vid. GOTTFRIED. OLEAR. *loc. cit. pag.* 649.

§. XXV.

His ita positis, quae recte poni possunt, facta et dicta eorum nonnulla in se contineant oportet, quae animum prophetis infensissimum, eorumque sanguinem sitientem arguant; talis enim erat parentum προφητοκτόνων animus. Vt enim alia ratione vix consequentia haec locum inuenire poterit, ita quoque, si quid video, quo magis hoc ex dictis et factis elucet, eo facilius etiam illud inde effici poterit atque concludi. Quid vero manifestius animi peruersi cum maioribus similitudinem testatur, hoc est, eos non modo natura, illorum esse filios, sed etiam tales, qui pessimos maiorum mores imitantur, quam si isti ὑποκριταὶ ea, vt supra diximus mente, sepulcra aedificauerint, atque exornauerint. Non tantum enim quoad peruersam animi indolem, maioribus ita plane similes

ſimiles ſunt; ſed in eo quoque iis peiores euadunt, quod pietatis cauſſam crudelitati ſuae interponant. Neque etiam eos tantum molitos eſſe, quod ſufficere iam poterat, eiusmodi nefaria contra Chriſtum eiusque adſeclas conſilia: ſed etiam, quo nihil ſceleſtius excogitari poteſt, ea, vti Seruator *commat.* 34. praedicit, perfeciſſe, illud euentus ſat funeſtus comprobauit.

§. XXVI.

Tantum praeter ea abeſt, vt haec, quae iam disputata ſunt, a propoſito ſeruatoris abhorreant, vt potius optime cum eo congruant, atque conſpirent. Tot enim modis quum iam conſpicuam feciſſet ſimulatam ſcribarum ac phariſaeorum pietatem; nonne reliquum erat, vt illos ſui ipſius quoque vitam, eorumque, qui diſciplinae ſuae addicti erant, ſanctitatis oſtentatione petere, planum faceret atque manifeſtum? Certe hoc illud magis necesſarium videtur, quo magis ſcelus hoc, reliqua foeditate anteibat, quum omnis in eo nequities complexa eſſe videatur, quoque difficilius erat, vt inſignis fraus iſta, ab aliis intelligeretur. Atque, vti hac ratione populus conuinci potuisſet quam certiſſime, cane et angue peius fugiendos eſſe hos ſanctitatis ſimulatores; ita quoque iſti ex hac nequitiae reuelatione, argumentum deſumere potuisſent; maiorem eum esſe, quam merum hominem, qui ipſa animi ſenſa explorata haberet: quum, licet tam multis fucum vendiderint, huic vni imponere haud licuerit.

§. XXVII.

Quodſi iam ea, quae hactenus pertractata a nobis ſunt, in ſummam colligamus, nihil difficultatis amplius

ſuperesſe credo, qu
finiendae, cum factis
rum conciliari poſſint
quenti argumento co
Ii, qui ſingularem e
reuerentiam prae ſe fe
aduerſus illos damnan
tant, atque, dum id
ſtruunt, merito poeni
bas autem ac phariſa
exſtruxerunt, atque ex
nihil aliud egisſe, lucu
licuit, probauimus,
ad i

o, quomodo poenae, nullis terminis
n factis et dictis ſcribarum ac phariſaeo-
poſſint. Quaecunque dicta ſunt, ſe-
ento commode comprehendere licebit.
larem erga veros prophetas cultum ac
rae ſe ferentes, maiores ob crudelitatem
damnant, ſeque iis longe meliores iacti-
dum id agunt, vitae aliorum inſidias
o poenis aeternis ſunt adficiendi. Scri-
phariſaeos, dum ſepulcra prophetarum
atque exornauerunt monimenta iuſtorum,
sſe, luculenter, quantum per vires noſtras
auimus, atque ita *Vae* illud iure merito
ad illos pertinebit.